



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Responsio Patris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

de meâ qualicumque ad eam rem facultate ferre  
 iudicium; ac nisi de me ipso, quid sentiam apud  
 parentem amantissimum deponere dubitem; non  
 postremas fortè in agendâ personâ etiam prima-  
 riâ partes ferre possim. Est mihi non inuenta  
 quam laudâsti ipse, corporis conformatio, non  
 inelegans incessus, actio satîs liberalis. Acce-  
 dunt latera firma, canora vox & distincta, quæ  
 capacem aulam impleat. Adjecit, ut fatear quod  
 res est, incitamentum non leve illa, quam sibi  
 annis posterioribus sodales mei pepererunt, in  
 hac palæstrâ nominis commendatio. Incendit  
 etiam desiderium, quod audio omnium rumo-  
 ribus jactari, Tragœdiam fore hoc anno bellissi-  
 mam. Virum nôsti, Pater, qui solennes ludos edi-  
 turus est, proh! qualis & quantus! quàm læta  
 sub tali magistro uberrimi fructûs spes affulget.  
 ô si filio carissimo indultum id velis! ô si hanc  
 facias bonus, quam peto, exercitationis copiam!  
 nullus ego dubitem, ita me affectum sentio,  
 quin me non declamationis modò, sed etiam  
 eruditionis donatum Laureâ sis amplexurus. De-  
 terrebunt fortè quipiam, quominùs id annuas, &  
 difficultatem temporum causabuntur. At quan-  
 tula impensa est, hanc si cumulata patris lætitia  
 compenset! Hoc providere meum est, Pater,  
 ne te pœniteat comptem me votorum effecisse.  
 Vale.

---

### RESPONSIO PATRIS.

**L**ætor ego plurimùm, Fili carissime, qui te  
 nactus sim paternarum præceptionum tam  
 memorem. Memini sanè commendatum  
 tibi à me diligenter, cum te Musarum in discipli-

N 3

nam



nam educandum traderem, ut leporem in dicendo, quàm posses venustissimum, consecraret. Nihil me facti pœnitet, imò studium in eâ re tum non cessabo, quantum in me erit, vehementer incitare. Neque verò me fugit valere ad eam rem plurimùm frequentem in dicendo exercitationem, & inter reliquas, illam vulgò commendari, quæ in Tragœdiis adhiberi solet. Videbor tibi fortasse plus æquo timidus pater, & contra parentum indolem de filio non satis commodè augurantem accusabis, si te audacem plusculum, & de viribus tuis præsumentem confidentiùs arguerim. Magnum quiddam est, Fili, quod vereor factis ut intellexeris, coram tam celebri cœtu personam tueri regiam, & confertam ex omni genere hominum multitudinem tenere dicendo posse. Ipsa quantumvis bella sit actio, quæ exhibetur, nam facile tibi assentior dum scribis fore illam bellissimam; quantumvis, inquam, actio illa bella futura sit, parùm interest, mihi crede, nisi par in Actoribus venustas respondeat. Habes equidem in sociis, qui posteriore anno suas in eodem loco egere partes, magnum exemplum pariter & incitamentum; at quò feliciores exitus habuere, eò vereor magis, ut ad tantam laudem pervenias. Tamen vincis & expugnas patrem, Fili carissime, dum spem obtinendi in Theatro præmii non levem moves. Id ego tantò lubentiùs adducar, ut credam, quòd scio in te uno esse positum, nec parvum iri à te laboribus, ut hoc amantissimo patri solatium impertias. Quare bono esto animo, hoc si feceris, ut videris polliceri, nulla in me mora est, quin Actorum in album, tuum nomen, cum voles, referatur. Neque tu verò impensis metue, vel sumptibus; liberalem patrem habes, tuisque commodis & oblectamentis cupidissimè servientem.

FILIUS